

Brust<sup>1</sup>. Eine derartige Benutzung der Schreibrtafeln wird auch dem Bildhauer des Asteris-Steines von Salona vorgeschwebt haben; da es ihm aber an Raum mangelte dem Darzustellenden wie den Stilus so auch das Diptychon in die Hand zu geben, half er sich damit es ihm in entsprechender Lage zur Seite zu stellen.

Die Schriftrichtung ist also in diesen Fällen dieselbe wie sie heute die übliche ist und wie in den Kodizes des Altertums und Mittelalters. Nun ist aber, wie bekannt, die Kodexform des Buches hervorgegangen aus der Vereinigung mehrerer Schreibrtafeln, die ja seit alters den Namen codex führte, indem zunächst für die Zwecke privater Aufzeichnungen und jedenfalls schon im 1. vorchr. Jahrhundert an die Stelle der Wachstafeln auch Pergamentblätter gesetzt wurden. Man wird daher zu dem Schlusse gedrängt, dass die Sitte parallel der kürzeren Seite und rechtwinklig zur Heftung zu schreiben, bereits in Uebung war, als das Kodexbuch entstand, also vielleicht bei den tabulae multiples oder jenen mehrblättrigen pugillares membranaei zuerst aufgekommen ist. Allerdings hat sich die alte Weise im Gebrauch der verbundenen Wachstafeln noch geraume Zeit behauptet und, wie es scheint, sogar grösserer Beliebtheit erfreut, sie ist auch niemals ganz abgekommen, wie sie ja auch heutzutage geübt wird, wo in Schule und sonst doppelte Schiefertafeln Verwendung finden, und es Notizbücher gibt, die parallel zur Heftung beschrieben werden. Je grössere Verbreitung aber das Kodexbuch fand, um so mehr bürgerte sich die in ihm herrschende Schriftrichtung bei der Benutzung der Schreibrtafeln ein. Wie zahlreiche Bildwerke (zB. das Diptychon des Pontianus [Abh. Bayer. Akad. XV T. 2], der Sarkophag des Gorgonius [Garrucci Storia d. arte crist. V 326, dazu 329. 344 usw.]) und Wachstafeln vom ausgehenden Altertume an beweisen, hat sie schliesslich die Vorherrschaft erlangt. Ja im Mittelalter, dem byzantinischen und dem abendländischen, ist sie auch auf Charta- und Pergamentrollen übertragen worden.

Bonn.

A. Brinkmann.

---

### Miscellanea Vergiliana

#### 1.

Quicquid de Vergili vita antiquitas traditum est, e Suetoni de poetis libro fluxisse inter omnes constat. neque enim Donatus in vita Vergili, id quod in Terentiana fecit, absoluta parte Suetoniana alium fontem adiit. quamquam ab ipso quaedam inter Suetoniana admixta esse ne ego quidem infitior. quod vero fuere qui Probi quae dicitur vitam Vergilianam ultra Donatum aut Suetonium ascendere putarent, hanc opinionem Eduardus Norden<sup>2</sup>

---

<sup>1</sup> Wie der Kaufmann des Reliefs ebd. T. 9, 5 in seinem Kontobuche schreibt, lässt die Abbildung nicht klar genug erkennen. — Vgl. übrigen noch Espérandieu's a. I. O. II<sup>es</sup>. 326 Nr. 1443.

<sup>2</sup> Mus. Rhen. vol. LXI (1906), p. 171 sq.

refutavit. restat tamen quaerendum, utrum omnia quae de vita Vergili memoriae prodita sunt, a Donato pendeant an quaedam ex ipso Suetonio petita sint. agitur autem imprimis de Servi vita Vergiliana, quam e Suetonio, non ex Donato fluxisse Leo statuit in Culicis editione p. 18.

Vitam Servianam non integram ad nos pervenisse rectissime Nordenus conclusit ex loco praefationis bucolicorum p. 3, 28 Thilo: *et dicit Donatus, quod etiam in poetae memoravimus vita, in carminibus naturalem ordinem secutum esse Vergilium.* ubi cum Servius Donatiana suae vitae opponat, necessario quaerimus ea in hac: tamen nusquam apparent. in vita autem Donatiana quaedam praeter Suetoniana ferri haud mirum. velut Culicis argumentum (p. 736 Hagen § 18) nec non Sulpicii Apollinaris epigramma (p. 738 § 38) non apud Suetonium lectum esse certum est. propter Culicis autem argumentum insertum haud scio an ordo carminum Appendicis Vergilianae mutatus sit. neque vero titulos aut apud Donatum aut apud Servium e codice quodam eius collectionis haustos esse manifestum est, propterea quod Catalepton carmina a Priapeis et Epigrammatis seiunguntur.

Atque illa additamenta Donati sunt. Sulpicii certe epigramma iam Servius in vita legit, quippe qui cum Vario Tuccam edidisse Aeneidem referat (p. 2, 13 Thilo) atque eodem ordine, quo nomina Sulpicius posuit: *Tuccam et Varium hac lege iussit emendare.* eqs.: *Tucca vetat Variusque* eqs. nam Suetonium haec de solo Vario narrasse recte Leo docuit in Quaest. Plaut. 1896 p. 38. restat quaerendum sintne post Donatum quaedam adscripta vitae Donatianae qualem nos legimus, aut detracta. neque enim ipsum Donatum manibus tenemus, sed vitam de commentario Donati sublata, atque id non ab eo qui scholia Bernensia composuit, sed ab uno ex triumviris qui ei materiam praebuerunt. nitimur leviores quodam additamento, sed quo natura eius qui auxit Donatum, bene perspicui possit. puerum Vergilium artem poeticam auspicatum esse epigrammate facto in Ballistam quendam legimus in vita Donatiana (p. 736 § 17):


*monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus.  
nocte die tutum carpe viator iter.*

Ballistam istam ab actu nomen traxisse apparet: ipse qui lapidibus praetereuntes saepe lacessiit, nunc lapidibus obrutus est. ex ipsis autem versibus eum latronem fuisse cognoscitur. sed quid Donatus Bernensis? *in Ballistam ludi magistrum ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus distichon fecit.* ludi magister latrociniiis vacare ne tum quidem solebat. itaque de hac significatione dubitare licet, praesertim cum Servius distichon factum esse dicat *in Ballistam latronem.* haec unice apta esse, immo si de ludi magistro res sit, omne perire acumen non est quod pluribus disseram. quid quod eidem rei Donatus quoque innuit verbis *ob infamiam latrociniorum?* praeterea verba illa *ludi magistrum* a Donato, qui ipse scholam exercebat, scribi non potuisse elucet. itaque addita videntur aut ab eo qui scholia Bernensia composuit

aut ab uno ex triumviris quibus ille usus est in componendo commentario. utrum vero eligas, non haeris, ubi Focam iam legisse illa verba observaveris<sup>1</sup>. immo non legit solum, verum etiam fabulam enarravit de Vergili ipsius magistro.

*tum Ballista rudem lingua titubante receptum  
instituit primum; quem nox armabat in umbris  
grassari solitum: crimen doctrina tegebat.  
nox patefacta viri pressa est audacia saxi.  
incidit titulum iuvenis, quo pignora vatis  
edidit: auspiciis suffecit poena magistri.*

sequitur epigramma et ipsum et quinque a Foca variatum. de Focae autem aetate non dubitatur: laudatur enim a Prisciano (GL II 515, 16): '*cudo*' secundum Diomedem et Charisium et Focam '*cusi*'. hunc enim grammaticum eundem esse Focam qui vitam Vergilianam versibus concepit, non eas infitias. auctor vitae dicitur *grammaticus urbis Romae*, grammaticus opus versibus quibusdam de laude grammaticae incohavit, quos versus Cassiodorus servavit (GL VII 146, 20). itaque Focas non post saeculum quintum fuit. qui cum verba illa *ludi magistrum* iam in vita Donatiana legerit, apud unum ex triumviris illis scholiorum Bernensium auctoribus invenit. ac novit ea Iunius Philargyrius: cf. Serv. ed Thilo = Hagen III 2 p. 5. non novit Servius. itaque hic propius abest a Donato. sin autem Servius e Donato pendet, etiam quae de versibus in secundo Aeneidis detractis a Vario apud Servium leguntur, ex Donato fluxerunt. omissa sunt in Donato Bernensi, qui cum Servio de falso Aeneidis principio consentit. contra Servius non solum Nisi nomen omisit, sed etiam de ordine librorum commutato tacuit. quae si recte disputata sunt, vitarum Vergilianarum auctores sic inter se cohaerere manifestum est:



2.

Tribus auctoribus se usum esse qui scholia Bernensia ab Hermanno Hageri anno 1867 edita composuit, ipse testatus est in Bucolicorum subscriptione: *haec omnia de commentariis Romanorum congregavi, id est Titi Galli et Gaudentii et maxime Iunilii Flagrii Mediolanensis*. idem efficitur ex primi Georgicorum libri subscriptione: *Titus Gallus de tribus commentariis Gaudentius haec fecit*. quae verba corrupta quidem, sed non ad prioris subscriptionis exemplum efficta esse manifestum est. nam quae fin-

<sup>1</sup> Vita Focae (Suetoni rel. ed. Reifferscheid 1860 p. 70) v. 7 sq.

guntur, finguntur cum specie probabilitatis. reliquis libris omnino nihil subscribitur. haec igitur satis aperte dicuntur.

sed cum Titus Gallus in solis Georgicis enarrandis — ac ne in iis quidem nisi raro — nominetur, Mommsenus in Mus. Rhen. vol. XVI (1861) p. 446 negavit subscriptionem illam suo loco ferri. transponendam a calce Bucolicorum ad initium Georgicorum. in Bucolicis explicandis solos Gaudentium et Philargyrium adhibitos esse. quae quamquam per se nulla probabilitate excogitata sunt — quis enim antequam rem exponat, 'haec omnia' se congregavisse autumet? —, tamen mirum in modum omnium fere virorum doctorum plausum tulerunt. sed ne ferri quidem potest illa Mommseni sententia. aperte enim plus uno loco ad Bucolica ex tribus fontibus scholia Bernensia conflata sunt. velut in ipsa praefatione tres enarrationes iuxta ponuntur, e quibus prima pertinet ab initio *hic loquuntur duo pastores inter se* usque ad verba *vel trium amicorum*; multo brevior secunda: *nunc loquitur pastor ad alium vel unus de amicis Virgilii Cornelius Gallus vel unus de Mantuanis a quo sunt agri ademti*. denique quod sequitur *hic loquuntur duo pastores*, brevissime primam sententiam complectitur, sed non intellegitur, nisi aliunde compiler adglutinavit.

nec minus primi primae eclogae versus explicatio trifariam partita est: α) *Tityrus apud veteres Latinos et Graecos intellegitur Satyrus*. β) *Tityrus Siculorum lingua hircus dicitur*. γ) *Tityrus dicitur qui oves pascit*. quibus de explicationibus altera ad verbum fere respondet Philargyrianae: *hircum Siculi tityrum vocant*<sup>1</sup>. praetera conferas velim adnotationes ad 1, 71: α) *impius: quia bella civilia desiderat*. β) *impius epitheton est militis eo quod vincendo pietatem praetermittit*. γ) *impius miles portando arma et vincendo alios nocendoque dicitur*<sup>2</sup> eqs. ubi quae primo loco exstant, e Philargyrio fluxisse comprobatur eius adnotatione p. 29 Hagen; sed alterius quoque notae auctor ex eodem pendet. tertius commentator adnotationes apud duos reliquos separatas in unam contraxit. quaedam solum describere sufficiet:

2, 20 α) *pecoris nivei: albae oves (ovis?)* β) *alii sic distinguunt: pecoris. nivei: quia antiqui lanam albam admodum diligebant* γ) *pecoris nivei: allegorice metri vel carminum*. quod medium positum est, conspirat cum Philargyrio.

2, 56 α) *rusticus est Corydon: ad semet ipsum loquitur poeta vel pastor . . . .* β) *rusticus: ioco utitur et significat Pollionem*

<sup>1</sup> A qua altera forma degeneravit: *Tityrum arietem vel hircum Siculi dicunt*.

<sup>2</sup> Cum hac explicatione congruunt ex parte quae initio adnotationis leguntur: β) *impius miles: Augustus qui contra Antonium arma portavit* α) *miles: hic Octavianum Virgilius laesit sed hic veritatem secutus est*. itaque hoc quoque explicatione triplici expositum est. quod hic a littera significavi, e Philargyrio sumptum est, cf. Ps. Serv. ecl. 1, 70 et Philarg. p. 29 Hagen.

*divitiorem se esse, quia erat dominus* (≈ Philargyrius). γ) *rusticus: pastor, poeta ad semet ipsum.*

2, 57 α) *Iollas: dominus eius id est Pollio, tamen per Augustum* β) *Iollas: deus Mantuanorum. nunc Pollionem, nunc Cornificium significat id est II poetas* (similia his Philargyrius: III 2 p. 43 Hagen II) . . . . γ) *Iollas: alius pastor, amator puerorum vel Pollio, qui et ipse poeta erat.*

qua autem ratione compiler auctoribus suis usus sit, optime perspicitur ex adnotatione ecl. 1, 55. quo loco tres notae separatim proferuntur: *Hyblaeis: Hybla mons in Sicilia vel locus in Attica, ubi mel optimum nascitur. Gaudentius dicit.* β) *set tamen Iunilius dicit civitatem Hispaniae.* γ) *Hyblaeis apibus id est aptum est hoc loco Hyblaeis apibus salicti florem depascere. Hybla autem mons est in Sicilia, ubi optimum mel fit.* ubi eum duo nomina antea laudata sint, restat tertiae explicationi unus Titus Gallus auctor. sed quae Gaudentio tribuit compiler, totidem fere verbis apud Philargyrium leguntur (p. 24 Hagen) atque ita ut cognoscatur textum Philargyrii compileri praesto fuisse alterius recensiois simillimum. neque tamen civitatem Hispaniae esse Hyblam Philargyrius contendit. itaque miseras turbas dedit compiler. sed tres eum consarcinasse auctores certum est. stat igitur quod in Prolegomenis p. 194 Ribbeckius contendit: Scotum illum scholiorum Bernensium auctorem praeter Philargyrium alios commentarios duos excerpsisse.

3.

Probi quae fertur vitam Vergilianam saeculo quinto aut sexto misere compilatam esse Nordenus<sup>1</sup> statuit. tamen matris nomen *Magiae Pollae* e Foca eius auctorem sumpsisse mihi non probatur, propterea quod praeterea nihil amborum proprium est. immo e Focae fonte id esse petitum haud scio an veri sit similis. sed ut ut est, ne sic quidem ante saeculum quintum illa vita orta est. quamquam originis admodum recentis est, tamen vereor, ne prorsus eam abicere non liceat. nam quibus in rebus maxime haesit Nordenus, eas explicari posse arbitror. vicum enim Andicum recte dici Oscarius Brugmann evicit: Indog. Forsch. 26 (1910) p. 128 ss. nec quod spatio XXX m. p. Andes a Mantua distare dicitur, mihi fictum videtur, sed erratum. satis enim probabiliter Henricus Nissen in Italiae descriptione vol. II 1 p. 204 adn. 1 coniecit tria milia pro triginta ab initio scriptum fuisse. cuius erroris genus admodum patet, pauca adpono exempla. velut si codices Caesarianos sequimur, Germani a Caesare devicti quinque milia passuum usque ad Rhenum fugerunt (bell. Gall. 1, 53, 1). sed cum ex ipso eius loci sensu tum ex testimonio Plutarchi et Orosii constat quinquaginta milia Caesarem scripsisse. similiter Orosius, quocum consentit codex Ashburnhamensis S, verum servavit Hirt. bell. Gall. 8, 41, 5 *extrahitur agger in altitudinem*

<sup>1</sup> l. l. p. 171.

*pedum LX*; in codicibus Caesarianis errore exstat numerus *VI*. conferas etiam quae de Caes. bell. Gall. 4, 22, 3 disputavi in Mus. Rhen. vol. LXIV (1909) p. 227. in commentariis autem Vergilianis quantum pagus Andes a Mantua distaret, ferri solitum perspicitur cum ex Donato (p. 51 Reiff.): *in pago qui Andes dicitur et abest a Mantua non procul* et Hieronymo ad olymp. 177, 3 (Sueton. ed. Reiff. p. 43) *in pago qui Andes dicitur haut procul a Mantua nascitur*, tum ex adnotatione ad ecl. 9, 10, quo loco accuratius de hac re agendum erat, in Servio aucto haec leguntur: *alii dicunt Vergilium ostendere voluisse, quod Mantuanis per iniquitatem Alfeni Vari, qui agros divisit, praeter palustria nihil relictum sit, sicut ex oratione Cornelii in Alfenum ostenditur: cum iussus tria milia passus a muro in diversa relinquere, via octingentos passus . . . reliquisti*. itaque non ubi de ortu Vergilii agebatur, in vita Suetoniana id spatium adnotatum est, sed ubi de agris amissis, quo loco summi momenti erat accuratius intervallum significari. unde in vita Probi reiectum est ad eum locum quo primo Andes vicus commemorandus erat. quae si recte exposuimus, quamvis depravata memoria ea, tamen non prorsus abicienda est.

Scripsi Argentorati.

Alfredus Klotz.

Zu Bd. LXV 607 ff.

Ἐκθεσις λόγων περὶ Μακαρινῶν e le Ὀδοιπορίαὶ ἀπὸ Ἐδῆμ τοῦ παραδείσου εἰς τὴν Ῥωμαίων si trovano anche nel cod. Vat. gr. 1114, chart., sec. XIII—XIV, ff. 174—175. Il testo si avvicina ora a B, più spesso a D, ora va da se. Nel titolo dell' ἔκθεσις si legge ἐκθέσεως λόγου περὶ μακ, ma c'è un vuoto di tre o quattro lettere dopo λόγου. Non ne dico altro, perchè m'importa solo di segnalare il codice a chi può interessare.

Roma.

Giovanni Mercati.